

quit. Tum vero Carrarius dupli bello oneratus, ingentes spiritus, quos ad eam diem aluerat, paulatim remittere. Etenim utrobique esse non poterat: nec tantæ ei erant copiæ, ut divisæ tuto hostibus opponi possent. Necesse igitur erat, utrobique, aut sane altero loco, res ejus periclitari. Interim amici Principis affinisque sui fortunam Albertus Æstensis miseratus, bellum intulit Venetis, praesenti negocio satis occupatis: socios primo novis auxiliis juvat, Polineso deinde tota Venetos exuit. Apud quosdam reperio, a Nicolao Alberti filio arma Venetis illata, cui Carrarius Liliolam filiam matrimonio locarat. Sed siue hic fuerit, siue ille (ut Veneti annales habent, qui tunc opem Carrariis tulit) commoti ea injuria Patres, Accium Æstensem, quem in Alberti gratiam relegatum sciebant, ex Creta insula Venetas accersunt: eum cum ingenti hominum manu appulsum continuo in Ferrarienses movere jubent. Fuerat Accius jam antea Alberto infestus: quem utique principatu dejecisset, nisi Veneti, Florentini, & Bononienses illum medio conatu oppressum, procul Italia ablegassent. Apparebat igitur fore, ut ille primo quoque tempore Ferrariensem domestico bello implicitum, aut aliqua magna clade afficeret, aut certe ad arma deponenda compelleret. Instruunt itaque & triremes nonnullas Veneti, quæ, Joanne Barbo præfecto, per Padi fluenta actæ, ingentem hostibus terrorem injecerunt. Multa interim variaque prælia circa Padum & alibi commissa. Et quum jam aquis terraque Ferraria premeretur, ad restinguendum domesticum incendium inclinare cœpit Alberti animus ad pacem: quam his conditionibus a Venetis impetravit: ut sal ad Comaclum non fieret amplius: pollicetur præterea, interposito juramento, se in Venetorum amicitia perpetuo mansurum. Hæc circa Ferrariam.

In Patavinis nihilo segnius bellum gerebatur. Munierat 1405 Venetus castra ad Campum Nucarium: inde cum parte copiarum dux profectus, ad Bassanellum confedit: quo consilio, autores quos sequimur, non tradunt. In eum ibi stativa habentem Francisci filius, cognomento Tertius,